



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 120. An sufficiat acceptatio tacita, æquivoca, diu pòst secuta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

Q. 120. An sufficiat acceptatio tacita, æquivoca, 781
diu post secuta. Bz. §. 1. Tacitam sufficere negant
Tiraq. Rodriq. Turr. & alii, quia is, qui tacet, non
fatetur, uti habetur Reg. 44. Juris in 6., ergo ex
hoc, quòd aliquis taceat, non præsumitur con-
sentire. Econtra sufficere affirmant Mol. Sanch.
& alii cum Dicast. l. 2. t. 4. n. 112. quia quando
agitur de commodo tacentis, qui tacet, consenti-
re videtur, uti habet Reg. 43. Juris in 6. Limitat
Lugo n. 82., nisi res oblata non esset adeo grata
illi, cui offertur, ita ut ex circumstantiis posset
colligi, quòd eam non curaret, tum enim ex hoc,
quòd taceret, non posset colligi consensus, quam-
vis res de cætero illi foret utilis; altera verò re-
gula, qui tacet, non fatetur, habet locum quando
agitur de incommodo tacentis, uti Auctores
communiter explicant; regula autem sic habet:
Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare vide-
tur, unde quamvis contractus sit onerosus, ex
aliis conjecturis conjiciendum est, an tacens vi-
deatur consentire, nec ne.

§. 2. Si acceptatio sit æquivoca, v. g. si fiat 782
his verbis, habeo gratias pro optimo erga me affectu,
sufficit, si re ipsa subsit animus acceptandi, quia
verba æquivoca determinantur per intentio-
nem loquentis.

§. 3. Si promissio fiat præsentis, acceptari de- 783
bet in continenti, vel quasi in continenti, morali-
ter loquendo, L. 137. ff. De verb. oblig., Promis-
for enim censetur nolle diu suspendere consen-
suum suum, nisi aliud constaret, Platel. n. 600.
Quando autem Az. Regin. & Dicast. n. 112. di-
cunt promissionem semel factam, cum non re-
vocatur, durare, ideoque post multum temporis

posse à promissario acceptari, intelligendi sunt quando ex circumstantiis colligi potest ad durare illam intentionem in promittente.

784

Q. 121. Quomodo promissio absenti facta valeat vel acceptari possit. R. Colligi poterit ex sequenti §. 1. Si promissio fiat absenti per verba directa ad absentem, alius, qui praesens est, non potest validè acceptare, *Dicast. l. 2. t. 4. n. 132.* & alibi. Econtra si fiat absenti per verba directa ad alium praesentem, poterit hic praesens quandoque acceptare nomine absentis, v. g. si dicas coram me promitto Titio, qui nunc Romae est, 100., non possum acceptare pro Titio, sed si dicas, promitto tibi, quòd Titio velim dare 100., fieri poterit ut quandoque validè acceptem secundum *Dica. da n. 789.*

785

§. 2. Promittens ordinariè non vult obligare absentem, nisi promissionem ipsemet per epistolam vel nuntium manifestet, hinc promissarius aliunde resciscens invalidè acceptaret, uti communiter *Dicast. n. 159. & Haun. t. 9. n. 11.* Quòd si putares promissarium abesse, & diceres te ei promittere, quamvis ipse praesens audiret & acceptaret, non obligareris, uti rectè *Lug. 23. n. 73.* Ratio utriusque est, quia ut promissio validè acceptetur, debet promittens illam offerre, sed non offert, quamdiu ipse non dirigit voluntatem suam ad promissarium, ergo. Ordinariè, nam si promittens publicè manifestaret promissionem, eo animo, ut notitia hoc modo ad promissarium perveniret, satis esset per quemcunque deferri.

786

§. 3. Quando promissio commissa fuit nuntio, qui eam offerret, ut alter, si vellet, acceptaret,

ret,
revo
lebit
Matr
bere
com
AA
add
simu
nun
mar
voc
ff.
que
vol
exi
ad
S
ner
pot
ten
Pla
Tur
ri
op
ur
me
Ra
vo
m
m
co
co
M